

**De moxae efficacia in animi morborum medela : dissertatio ... / auctor  
Carolus Guilelmus Ideler.**

**Contributors**

Ideler, Karl Wilhelm, 1795-1860.  
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Berolini : Typ. Aug. Guil. Schadii, 1831.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/wegde48g>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DE  
**MOXAE EFFICACIA**

IN ANIMI MORBORUM MEDELA.

---

DISSERTATIO

QUAM

ADJUNCTIS THESIS

UT

LECTIONUM IN UNIVERSITATE LITTERARIA

**FRIDERICA GUILIELMA**

HABENDARUM LICENTIAM NANCISCATUR

AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

*DIE VI. AUGUSTI A. MDCCCXXXI.*

H. L. Q. S.

PALAM DEFENSURUS EST

AUCTOR

**CAROLUS GUILIELMUS IDELER**

MED. CHIR. DR. SECTIONIS IN NOSOCOMIO CARITATIS BEROLINENSI  
INSANIS DICATAE MEDICUS PRIMARIUS.

---

OPPONENTIBUS:

J. F. HECKER, MEDIC. PROFESSORE.

TROSCHEL, MED. ET CHIR. DRE.

J. IDELER, PHILOS. CAND.

---

BEROLINI,

TYPIS AUG. GUIL. SCHADII.

Digitized by the Internet Archive  
in 2016



# THESES DEFENDENDAE.

---

## I.

Vis medicatrix naturae fundamentum doctrinae Stahlianæ sistit.

## II.

Animi morborum distinctio in idiopathicos et symptomaticos optima habenda est.

## III.

Maniam sine delirio nego.

## IV.

Moxibustionem ferri candentis usui in animi morborum medela præferendam esse censeo.

## V.

Enteritidis sic dictæ ulcerosæ indolem inflammatoriæ nego.

## VI.

Caloris animalis origo e solis legibus physicis et chemicis haud repetenda est.

---



# THESES DE FRIEDRICH

De medicis naturae fundamētis doctrinae sub-

stantia

II

Anni corporis distinctio in illud et symptom-

matice optima habenda est

III

Mentis sine delirio nego-

IV

Moxipropositi (est) conditio tunc in anni morbo-

rum melior praestantur cum capere

V

Enteritidis sic diatesi ulcerois indolem tolluntur

etiam nego-

VI

Estimatio naturalis oris et aures legibus physicae et eth-

icae hanc rependit est

**O**mnem medendi rationem de morborum indole bene investigata atque perspecta esse deducendam, medicorum nemo non consentit. Aegritudines enim quamplurimae, inflammationum exemplo, specie sive symptomatum complexu valde inter se discrepantes, mutua tenentur cognatione, eandemque curandi methodum sibi exposcunt. Alia est morborum nonnullorum ratio, qui licet toto coelo distent, magnam tamen apparitionum similitudinem prae se ferunt, ideoque gravissimo aegrotantium damno ab incautis facile commutantur. Quae igitur in morbis secundum signa pathognomonica dignoscendis versatur nosologiae pars, ad detegendam illorum naturam haud satis est tuta, quippe quae etiam e causarum praegressarum recensione, e corporis habitu atque constitutione atque e morborum sequelis erui debeat.

Non dubito fore nonnullos, qui mirentur, tam vulgaria atque quotidiano usu detrita a me proferri. Quos tamen rogatum velim, ut quamplurimos errores respiciant, qui teste artis medicae historia e neglectu illorum axiomatum propullularent. Ista enim animi levitas ac inconstantia, quae novarum rerum avida, veritatem veterum sollertia et perspicacitate exploratam in oblivione ac fere in contemptu habet, praeconceptis opinionibus fingendis et commentitiis theoriis condendis omnem impendit operam. Medici igitur, nisi antiquiorum sapientum doctrinas spreverint, nec similitudine seducti fuissent, quae animi morbis cum corporis quibusdam laesionibus communis est; non futurum fuisset,



quod utrisque eandem indolem attribuerint, quam ut probarent, vanis profecto argumentis utebantur. Quot inde natae sunt hypotheses e diametro ut dicunt sibi oppositae, rerumque naturae contrariae! Quae ad furorem insanorum compescendum, ad pravos eorum mores corrigendos, ad mentem moerore absumptam exhilarandam, ad stultorum desipientiam coercendam et in rectum rationis tramitem reducendam, ad ignavia ingenia excitanda inanes excogitatae regulae!

Angustos hujusce libelli limites ne transgrediar, id mihi tantum sumo, ut collectis paucis veterum sapientum sententiis ostendam, illos a vera animi morborum cognitione haud multum abfuisse; quos tanto magis audiendos esse censeo, quanto clarior lux e morum disciplina, summa auctoritate ab illis tradita, medicis insanorum curam gerentibus affulgeat. Hos tamen unanimo fere consensu mihi videor audire exclamantes: Quid nobis cum philosophis, qui vis vitalis ejusque legum atque conditionum ignari, summam, qua mentis morbi animique perturbationes disjunguntur, differentiam negligunt. Medici ergo contendunt, amentium vociferationes praeruptas, sermones inconcinnos et actiones violentas ad varia delirii genera pertinere, quae cerebri male affecti testes aut in febrium decursu, aut in encephalitide, inque aliis sensorii communis morbis emergant. Animi naturam, quam simplicem statuunt et immutabilem, omnem virium discordiam, morborum matrem, respuere, quippe quae in corporibus tantum compositis, et multorum elementorum connubio constitutis locum obtineat. Pravos mores, rationisque errores vesaniae quidem gignendae esse pares, nec vero causam ejusdem continentem sistere, quam corporis tantum labes exhibeat. Nam sceleratissimos homines plerumque sui conscios esse et compotes, quod fieri



non posset, nisi nervi eorum firmi atque validi incolumitatem in omni animi motu ac tumultu tuerentur. Honestos vero, si nervorum genere debili essent instructi, sui imperium facile amittere, cum aut magnae aut diuturnae sentiendi facultatis commotiones nimiam in pervertendis corporis actionibus vim proderent. Vel enim cor ad majorem reagendi impetum exstimulari, ideoque febres cerebri imprimis affligentes, quin adeo inflammationes accendi; vel nervos convelli, iisque in motus inordinatos raptis conscientiam turbari; vel sanguinis in abdomine, praecipue autem in vena portarum circulum retardari, quod cum moerore ac tristitia depressis eveniat, non possit non concoctionem inhibere, bilisque restagnationibus ansam praebere. Arcissimum vero consensum vel sympathiam cerebrum inter ac viscera chylopoëtica neminem nescire, nec mirum esse, horum functione praepedita et illius cum animo commercium alterari. Quamplurimos autem insaniae casus, nulla antecedente mentis perturbatione, manifestam e quacunque corporis labe originem duxisse, velut e menstruorum, lochiorum et haemorrhoidum fluxu cohibito, ex impetiginibus ad cerebrum repulsis, e capitis lacionibus etc. Quae cum ita se habeant, deliriorum speciem nullo modo morum habitui, quem characterem moralem vocent, similem esse, quin potius contrariam saepe rationem exhibere, ita ut castus fiat impudicus, fortis evadat pusillanimis, ut simultates cum propinquis exerceat, quos amore amplexus esset. Gravissime itaque falli, qui persuasum sibi habeant, insaniam nihil esse nisi animi perturbationem diuturnam et perseverantem, neque illam ab hac nisi gradu et mora differre; ita ut rationis obnubilatio, vel recti, boni ac congrui oblivio, quae mente captum continuo et semper tenet, ira excandescens, vel



metu et terrere horrentes, vel alio interno motu raptos cito deserat. Nec negligenda esse, quae cultri anatomici ope in corporibus mania, melancholia vel fatuitate defunctorum reperirentur, quibus edoceamur, viscerum nobiliorum laesiones organicas mentis aberrationibus fomem prae-buisse, sive illae in cerebro, sive in pectoris abdominisque cavo latuerint.

Quibus rationibus permoti medici in corporis morbos, quos mentis alienationibus subesse putant, inquirunt, iisque aut manifestis signis patefactis, aut arbitraria opinione praesuppositis medendi methodum superstruunt. Nec negabo, febre inflammatoria, quam furor accenderit, venae-sectionis ac purgantium adjumento sedata, animum tumultuantem compesci; vel viscerum obstructionibus medicaminum solventium efficacia dispulsis, animi depressionem, istarum causam allevari. Ea enim est animi cum corpore intima conjunctio et reciprocus nexus, ut alter quietem, viriumque aequilibrium, vel harum dissidium, actionumque malam proportionem cum altero communicet. Medici autem felicem curationum eventum pro physicae insaniae indolis argumento nimis festinanter habebant, ideoque a mentis regimine, quo desipientium errores redarguerentur, abstinendum esse censebant, ne altercatione et rixa cum aegroto denuo in ipsius animo motus turbulentus resuscitetur, quod novo furoris ingressui materiam largiri possit. Qua de re prolixius disserendi infra opportunior locus patebit; hic monuisse sufficit, singulorum auctorum allegatione haud opus esse, cum eandem sententiam omnes fere profiteantur.

Quam refellere sapientiae professores ne tentaverunt quidem, cum animi morbos ceu corporis solius affectiones negligerent. Animus vero cum in notionibus formandis,



in ideis connectendis, inque actionum arbitrariarum consiliis capessendis aliis legibus adstrictus sit, quam quibus vis vitalis obtemperet, cumque istarum legum dominium in dementia nequaquam penitus obruatur; illas medico e psychologia esse depromendas, per se patet. Nihil igitur medicorum assertum valet, animum, cui a corpore aegrotante servitudinis jugum imponeretur, sui juris non esse. Nam vesani in actionibus appetendis et moliendis summam saepe prudentiam, astutiam, calliditatemque produnt, suique propositi tenaces magnam constantiam et firmitudinem ostendunt, qua laude dignissimos sese praestarent, nisi finis pravi contingendi studium a rationis regulis valde abhorreret. Quocirca medicis summopere in vitium vertendum est, quod amentiae (quo ego nomine cum Platnero omnem communiter complector animi affectionem, mentis vel rationis lumine carentem) originem e mala animi constitutione concipere non curae cordique habuerint, quid quod adeo nonnulli contendunt, deliras ideas nihil significare, nisi quatenus genus earum hilare vel triste, furiosum vel remissum de aegritudinis corporalis genio testetur.

Dolendum sane est, quod maxima philosophorum pars in perscrutanda animi natura fluctuaverit, nec rectam ad veritatem eruendam viam ingressa fuerit. Permulti enim metaphysices fucos delectantur, argutiisque dialecticis probare gestiunt, animum ceu ens incorporeum sub sensus non cadere, ideoque nullam observationi materiam largiri. Omnem igitur animi cognitionem negant, nisi quae e rationis usu redundet. Sensus autem interni obliviscuntur, qui mentis, appetendique facultatis actiones eodem modo empirico repraesentat, quo sensus externi rerum imagines animo exhibent. Ratio quid in unoquoque valeat, quid memoria, quid iudicium, aliaeque in animo comprehensae



vires, non anticipatione, sed earum usu cognosci debet. — Alii, doctrinae mysticae adseclae, pietatisque perperam intellectae cultores, vitam humanam dicunt esse pugnam animi adversus cacodaemonem sibi insitum. Nec esset, cur hunc delirantis magis ingenii lusum, quam sapientiae penetralia perspicientis doctrinam tangerem, nisi novissimis etiamnum temporibus animi morborum theoria tam futili fundamento superstructa fuisset. — Quid autem dicam de ineptiis eorum, qui omnem rationis nobilitatem, excelsitatemque abnuentes, hominum genus virtute brutorum animalium greges antecellere negarent, et animum nudis mechanicis legibus adstrictum esse contenderent, ita ut cogitandi negotium, actionumque moralium arbitrium a concursu idolorum cerebro inculptorum vel necessario vel fortuito pendeat?

His aliisque similiter inconcinnis referendis ne tempus frustra teram, brevi dicam, qua animi cognitione medico opus sit. Nempe non de essentia sive de natura ejus, quam dicunt immaterialem vel incorpoream, nobis est disputandum, quod metaphysicis relinquamus; sed eam tantummodo philosophiae partem aggrediamur, quae excolendis perficiendisque animi viribus omnem operam impendit et curam. Quod quidem fieri nequit, nisi vires istas sive facultates observatione, usu, exercitio exploratas habeamus, ut intelligamus, quaenam illi fini perpetrando congruant regulae, faveantque. Quemadmodum, secundum ingeniosum illud effatum, experimentum est quaestio naturae proposita, cui respondere cogatur; ita homo, ut praestantiae suae sibi fiat conscius, atque perspectum habeat, quid valeant humeri, quid ferre recusent, rebus arduis se implicet gerendis, necesse est. Quod periculum si consulte instituit, beneque attendit, non potest non ea deprehendere,



quae innata sibi vel illata, aut coepta iuvant, expediuntque, aut prohibent atque frustrantur. Collectis his usu comprobatis animi propensionibus et aversionibus, via nobis muniatur ad detegendas illius facultates, quae psychologiae empiricae partes constituunt. Hac enim edoceamur oportet, cupiditates refrænare, animum ira, odio, gaudio exultante aliisque perturbationibus exagitatum componere, actionumque voluntariarum moderamen rationi vindicare.

Quae cum ad vitam bene beateque agendam quam maxime sint necessaria, satis mirari nequit, hanc philosophiae nobilissimam partem pro sua praestantia dignitateque minime sufficienter esse excultam. De veteribus sapientiae professoribus Baco, immortalis ille scientiarum reformator, jam conquestus est, illos quidem, Aristotelis exemplo, verbis expressis atque iterato hanc partem (doctrinam de cultura animi ipsi nuncupatam) inculcasse, nec vero persecutos esse, nec in corpus doctrinae redegissee \*). Aequitas vero, magnisque antiquitatis ingeniis debita reverentia impedit, quo minus huic vituperio penitus annuamus. Veteres enim, etsi scientiarum systemata fere haud condiderint, quae aedificii instar singulas partes in ordine quodam collocatas et dispositas continent; tamen e perspicace et diligente rerum observatione utilissima hausserunt praecepta, quae veritatis auctoritate neotericorum commenta longe superant. Hippocratis videlicet aphorismi in morborum indagandorum ratione nobis etiamnum facem praeferunt; quique ethicam coluerunt, summi erant in tradendis regulis, quarum ductu et imperio animus in maiorem virtutis et excellentiae gradum evehitur. Quid enim praeclarius, quid rectius, quid sapientiae magis con-

---

\*) De dignitate et augmentis scientiarum, lib. VII. cap. III.



gruens, quam quae Stoicorum fuit de perturbationibus animi sententia. Quam Cicero in primo Academicorum libro (cap. X.) his verbis cum nobis communicavit. „Zeno igitur nullo modo is erat, qui, ut Theophrastus, nervos virtutis incideret; sed contra, qui omnia, quae ad beatam vitam pertinerent, in una virtute poneret: nec quidquam aliud numeraret in bonis, idque appellaret honestum, quod esset simplex quoddam, et solum et unum bonum. — Quumque superiores non omnem virtutem in ratione esse dicerent, sed quasdam virtutes natura aut more perfectas, hic omnes in ratione ponebat; quumque illi ea genera virtutum, quae supra dixi, sejungi posse arbitrarentur, hic nec id ullo modo fieri posse disserebat; nec virtutis usum modo, ut superiores, sed ipsum habitum per se esse praeclarum, nec tamen virtutem cuiquam adesse, quin ea semper uteretur. *Quumque perturbationem animi illi ex homine non tollerent, naturaque et condolescere, et concupiscere, et extimescere, et efferri laetitia dicerent, sed eam contraherent in angustumque deducerent: hic omnibus his quasi morbis voluit carere sapientem.* Quumque eas perturbationes antiqui naturales esse dicerent, et rationis expertes, aliaque in parte animi cupiditatem, alia rationem collocarent, ne his quidem assentiebatur. Nam et perturbationes *voluntarias* esse putabat, opinionisque iudicio suscipi, et omnium perturbationum arbitrabatur matrem esse *immoderatam quamdam intemperantiam.*“

Rationi enim cum hoc a natura demandatum sit munus, ut quibuscunque animo insitis facultatibus evolvendis et in actionem perducendis prospiciat; omnia huic fini perpetrando contraria impedimenta arceantur oportet. Eam autem corporis vivi conditionem, qua in exercendis vitae functionibus prohibetur, morbum nuncupamus, qui virium



dissidio et pugna totius ruinam minatur. Simili modo Zeno animum perturbatum tanquam morbo affectum merito habuit, propterea quod sanus esse, i. e. officio suo fungere nequit, cui impetus cujuslibet violenti sensus rationem obnubilat, confundit, obducit; ita ut animus consilii expers, velut navis gubernatore stationem deserente procellis agitata, in motus turbulentos rapiatur. Male humano generi consulunt, qui libertatis notionem nimis amplificando, licentiam, legumque divinarum et civilium magis contemptum, quam istud rationis moderamen, quo sui ipsius juris animus manet, praecipere videntur. Quod aliter fieri nequit, si perturbationes animo innatae, atque naturae instituto constare censeantur. Et omne rationis, cupiditates continendi conamen irritum esset, si e fonte numquam evanescente profluerent; *nam naturam furca expellas, tamen usque recurret*. Equidem haud inficias ibo, quemlibet pro sua indole et temperamento in quosdam affectus sibi magis proprios esse proclivem; attamen illos in potestate sua habebit, dummodo velit, iisque ceu materia utatur, in qua boni rectique propositi fortitudinem exerceat, experiaturque.

Quam Stoicorum de morbosa perturbationum indole sententiam medici si probe attendissent, non quemvis delirii expertem sana mente gaudere dixissent. Stultorum, malevolentiumque turba quidem in morocomiis et ergastulis retineri, coercitione et castigatione ab erroribus ad veri sensum, a pravis moribus in virtutis semitam revocari nequit, nisi magnam populorum partem, ne majorem dicam, libertate spoliare velis. Sani igitur illi judicantur, quibus liceat, ad arbitrium de vita sua disponere, etsi summo saepe sibi detrimento hanc libertatem nanciscantur. Sceleratissimi porro homines ne amentiae excusatione culpa



liberentur, quam bene sui, officiorumque sibi conscii contraherent, lege cautum est, insaniae conceptum in arctiores fines reducere. Vesanus igitur dicitur, qui recti congruique sensu orbus, vitam ad rationis normam dirigere nequit, relationisque ad ceteros homines et ad res se ambeuntis ignarus vel oblitus, in judicandis et exequendis actionibus perversa consilia captat.

Nec ego quemvis hominem malum vel errori obnoxium mente captum, sed talem esse censeo, qui rationis lumine facillime cariturus sit; quemadmodum valetudinariis morbo proximus est. Regeri mihi quidem potest, maximae hominum parti hoc asserto rationis usum negari, nec hoc acerbissimum, humanoque generi inimicissimum iudicium novi quid in medium proferre, cum et Voltaire terram dixerit esse totius mundi morocomium. Cuilibet suum esse insaniendi modum, quo communem vitae regulam deserat, nec ideo rei publicae ordinem turbari, dummodo quisque hallucinationes suas imo pectore recondat, et veniam det alteri, quam ipse sibi exposcat. Stoicorum igitur praecepta hominum naturam transcendere, quippe quae cupiditatum stimulis agitata et vitae necessitatibus adstricta, divinarum legum sanctitatem intueri quidem nec vero ubivis assequi possit. Nec de communibus hominum erroribus nobis esse sermonem, sed de illis infortunatis, qui in perpetuo insomnio vitam degant.

Quae quam speciosa videantur, tamen veritatem haud attingunt. Etenim plurimorum sortem esse miserrimam fateamur oportet, ob id quod salutem, quae in sola virtute est posita, haud curent, et animi quietem, vel ab perturbationibus immunitatem, sapientiae privilegium, nihili aestiment, vel saltem opibus, voluptati, aliisque sensuum blandimentis postponant. Num hanc vitae pravitatem eam



esse conditionem putas, quae naturae respondeat, propterea quod vulgatissima est? Num vitiis indulgendum esse credis, quia ad nobiliora, excelsioraque ardua est via, paucisque cognita? Recte igitur Stoicos de perturbationibus praecepisse concedamus, quorum sententiam paedagogi si amplexi essent, ut pueros juvenesque ea fortitudine imbuerent, quae in omni fortunae vicissitudine sibi temperet, sensationumque fluctus componat, nemo profecto de excusandis vel adeo vindicandis illis perturbationibus cogitaret. Nec nimis severe et austere hoc dictum esse, Lycurgi institutionibus evincitur, quibus ea modestia, temperantia, inque perpetrandis actionibus robus juvenibus tribuebatur, qua Spartani in virtutis exercitio nos longe superarent, etiamsi divina religionis lex ad eandem praestantiam nos exhortetur. Maximum virtutis adjumentum in consuetudine, quam alteram naturam bene dixere, est positum, nec sibi imperare difficile erit ei, qui negare sibi res jucundas, doloremque tolerare ab infantia inde didicerit. Qui vero luxuria enervatus, laxisque moribus effoeminatus est, cuilibet cupiditati indulgebit, quolibet dolore in animi afflictionem et summam tristitiam rapietur et in affectuum tumultu ac rebellione justis et recti sensum amittet.

Sed ut propius ad rem accedam, jam ex veteris sapientiae monimentis ostendam, summam perturbationes inter ac vesaniam esse propinquitatem et cognationem. Primum Lucii Annaei Senecae de ira librum evolvas, ibique in primo capite haec reperiēs. „Quidam itaque e sapientibus viris iram dixerunt brevem insaniam. Aequē enim impotens sui est, decoris oblita, necessitudinum immemor, in quod coepit pertinax et intenta, rationi consiliisque praecclusa, vanis agitata causis, ad dispectum aequi verique inhabilis, ruinis simillima, quae super id, quod oppressere



franguntur. Ut autem scias, non esse sanos, quos ira possedit, ipsum illorum habitum intueri. Nam ut furentium certa indicia sunt: audax et minax vultus, tristis frons, torva facies, citatus gradus, inquietae manus, color versus, crebra et vehementius acta suspiria; ita irascentium eadem signa sunt. Flagrant et micant oculi, multus ore toto rubor, exaestuante ab imis praecordiis sanguine; labia quatiuntur, dentes comprimuntur, horrent ac subriguntur capilli, spiritus coactus ac stridens, articulorum se ipsos torquentium sonus, gemitus mugitusque, et parum explanatis vocibus sermo praeruptus, et complosae saepius manus, et pulsata humus pedibus, et totum concitum corpus, magnasque minas agens, foeda visu et horrenda facies depravantium se, atque intumescentium.“

En furoris, quem hodie maniam nominamus, descriptio omnibus numeris absoluta, qua luculentiore locupletioreque medicorum nemo evulgavit. Sed ut jam per singula signa eam, quae Seneca ceu irae et furori communia recenset, primo de iis dicam, quae animi conditionem patefaciunt. Quae tamen haud omnia illustranda esse censeo; nam si furor impotens sui, decoris oblitus, necessitudinum immemor dicitur, non est quod ullam explicationem desideres, quia assertum illud per se patet. At vero et in quod coepit pertinax traditur, quod nonnullis dubium, immo falsum videri possit, cum delirantium per devia errantem mentem, nec sibi constantem, vel quovis temporis momento desultorium cogitandi, sentiendi, appetendique modum spectent. Cum igitur maniam tanquam phrenitidis sive furiosi delirii, a quacunque cerebri laesione nascentis speciem habeant, omnem idearum in furentis conscientia connexionem, ordinem et consequentiam praefracte negant. Num autem et iratus phre-



nitide i. e. cerebri morbo correptus est? Nam si affectus summum gradum attigerit, ita ut oculi caligent, auresque obsurdescant, tanta miserum confusio invadit, ut vel loquelae usum amittat, vel saltem inconcinna, maleque cohaerentia verba balbutiat, aliumque violentia sua petat, quam a quo sit lacessitus. Quod cerebri morbo adscribere cum absurdum sit, eam perturbationum in animo vim esse fateamur oportet, qua mentem in deliras ideas agant, iudicii usum tollant, atque eum conscientiae habitum efficiant, quem et insanus prodit. Abs qua mentis seditione vel tumultu etiamsi perturbationes nomen acceperint, tamen non impediunt, quo minus propositi tenax homo sit. Ulciscendi enim cupido iratum tenet, qui licet aggressorem cum altero et insonte quidem facile commutet, tamen in vindicandi studio persistit, eandemque sentiendi ac appetendi rationem sequitur, etsi mens caliget, et ab omni recti, justique recordatione aliena sit. Idem de furiosis valet, quorum actiones violentae in finem quemdam, etsi delirante mente captum, tendunt; cujus perpetrandi causa si prava auxilia eligant, non est quod miremur, cum iudicii usus iis sit denegatus. Sic insanos videre licet, qui ut medico stomachum moveant, sibimet ipsis nocere student. Nec melius irati agunt, cum injuriae propellendae occasio deest, si vestes lacerant, vel crines evellunt. Eandem igitur animi conditionem in irato et furioso agnoscere debes, cum in utroque appetendi impetus mentis aciem obtundet, rationis moderamen aspernetur, iudicii in discernendis rebus alacritatem infirmet, praeteritorum memoriam claudat, quin adeo externos sensus hebetet, ita ut miser penitus sui conscientiam perdat, et ferae instar vel ad atrociam adeo crimina coeco instinctu impellatur. Num altior animi cognitio tibi contigit, qua



contraria indole discrepare perhibentur, quae communi signorum ratione eandem naturam indicant? Non crediderim; nam quae apparitiones, vel res sub sensus cadentes transcendit doctrina, iisque fidem denegans alium, quam qui illis revelatur, rerum ordinem ex nexum stabilire gestit, metaphysicorum deliramenta, nec vero rerum naturam sapit. Nec mihi objicies, discrimine perturbationes inter ac dementiam sublato omnem sceleratorum culpam cessare, nam furor ab ira tam mora, quam gradu distat, ita ut prior perseveret, haec vero mox remittat. Iracundus igitur ab excandescencia sibi cavere, eamque animi disciplinam subire et potest et debet, quae rationis integritatem et incolumitatem tueatur; quod cum furioso haud liceat, qui perpetuis sensationum acriorum igniculis vexatus, ad compositam mentem haud redit, ab omni culpa vacuus est, quae liberum iudicium requirit. Maleficus igitur hanc ob causam vituperandus et poenâ afficiendus est, quia communi et quotidiana experientia de funestis irae aliarumque perturbationum sequelis certior factus, sibi ab illis jugum imponi passus est, etiamsi vigente et tumultuante affectu sui imperium amittat; quemadmodum ebrium temulentia non a facinoris imputatione liberat, quod etsi sui non conscius commiserit, tamen vitare potuisset, dummodo a potu abstinere voluisset. His sollicite perpensis magna utique maniam inter ac iram, quatenus ad culpam spectant, differentia elucescet; etiamsi utramque ex eodem fonte promanare contendam. Quae cum medici haud satis discreverint, in perpetua ambiguitate fluctuabant, ut saepe hominem insanum esse iudicarent, propterea quod in summo affectu, furiosi ad instar sese gesserit, licet ad se reversus nullum amentiae signum proderet.

Nam et ira rationi consiliisque praeclusa dicitur a Se-



neca, et vanis agitata causis, ad dispectum aequi verique inhabilis, ruinis simillima, quae super id, quod oppressere, franguntur. Quam irascentium pravitatem cum quotidie intueri liceat, satis mirari nequit, hanc vitiosam animi conditionem a philosophis hodiernis vix ac ne vix quidem ad morbos referri. Sana mente profecto non gaudet, qui erroribus se decipi, iisque ad vana consilia compelli sinit, quod cum iracundis quotidie fere eveniat, hebetis ingenii testimonium satis luculentum exhibet. Nonne eam saepe stultitiae gradum attingunt, qui excandescantiae furibundae nomine a Platnero propositus, ambigentem te relinquit, utrum cum insano an cum eo agas, qui affectui tantum indulgeat? Quae cum ita se habeant, nullus certe limes definiri potest, quo uterque animi habitus rite distinguatur.

Ad signa, quae corporis in utroque animi statu constitutionem indicant, transienti mihi ea praeprimis memoratu digna videntur, quae motus febriles indigitant. Quid enim flagrant et micantes oculi, quid multus ore toto rubor, quid exaestuans ab imis praecordiis sanguis aliud significat, nisi hujus ad caput tendentes congestiones, inque toto corpore citatum circuitum? Sed quaeris: Quid novi his verbis edocemur, cum nemo eadem non profiteatur? Tanto magis equidem miror, quemlibet fere in explicandis furoris signis hunc simplicem phoenomenorum nexum praetermisisse, ut cordis arteriarumque motum continue acceleratum non ab animo exsultante, sed contra hujus irrequietam agitationem a cruore, cerebro allidente derivaret. Perpetua artis medicae lex esto, in referendis symptomatum rationibus ea respicere, quae in statu naturae congruo obtineant, ne novis causis fingendis faveamus. Nec aliae in morbis vigent vires, quam quae et sanitatem



tuentur. Quodsi igitur compertum habeamus, vel optima sanitate fruente hominem ira incensum quasi febre corripì, cujus omnia incommoda manifesta, calorem nempe auctum, et faciei ruborem, et pulsum frequentem, et alienatum in toto corpore sensum, et sitim experiatur; cur non furoris signa ad eandem animi commoti vim in corpore referimus? Quanto acutius veteres hac de re judicabant! Cicero v. g. in tertio Tusculanarum quaestionum libro, et quidem in capite quinto haec habet. „Sic enim definitur iracundia, ulciscendi libido. Qui igitur exisse ex potestate dicuntur, idcirco dicuntur quia non sunt in potestate mentis: cui regnum totius animi a natura tributum est. Graeci autem *μανίαν* unde appellent, non facile dixerim. Eam tamen ipsam distinguimus nos melius, quam illi. Hanc enim insaniam, quae juncta stultitiae patet latius, a furore disjungimus. Graeci volunt illi quidem, sed parum valent verba: quem nos furem, *μελαγχολίαν* illi vocant. *Quasi vero atra bili solum mens, ac non saepe vel iracundia graviore, vel timore, vel dolore moveatur: quo genere Athamantem, Alcmaeonem, Ajacem, Orestem furere dicimus.* — Et in capite quarto: „Non mihi quidem soli omnis animi commotio videtur insania, majoribus quoque nostris hoc ita visum intelligo multis saeculis ante Socratem: a quo haec omnis, quae est de vita et de moribus, philosophia manavit. — Omnes autem perturbationes animi morbos philosophi appellant — sanitatem enim animorum positam in tranquillitate quadam constantiaque censebant; his rebus mentem vacuum appellarunt insaniam, propterea quod in perturbato animo, sicut in corpore, sanitas esse non posset. Nec minus illud acute, quod animi affectionem, lumine mentis carentem, nominaverunt amentiam, eandemque dementiam. Ex quo in-



intelligendum est, eos, qui haec nomina posuerunt, sensisse hoc idem, quod a Socrate acceptum diligenter Stoici retinuerunt, omnes insipientes non esse sanos.“ Quae adjicienda esse putavi, ut quam longe lateque in omni antiquitate recta amentiae cognitio divulgata fuerit pateat.

Mania febrium vel adeo inflammationum speciem seu imaginem procul dubio saepe refert, ita ut facile ab incautis cum his corporis affectionibus commutari possit, vel potius hasce sibi facillime adjungat, et methodum antiphlogisticam strenuam requirat. Nec tamen eam ob rationem in corporis vitio primariam habet originem et fundamentum, cum saepius sine omni laesae corporis sanitatis signo appareat. Quod quotidiana et multiplici experientia edoctus adfirmo, et inane esse contendo assertum, cujuslibet amentis corpus aegrotare. Medici enim, cum persuasum sibi habeant, mentis alienationem sine praevio corporis malo nec fieri, neque cogitari posse, morbos fingunt, quos sedula observatione detegere nequeunt, ideoque ad abdita generis nervosi vitia, ad inflammationes occultas, vel ad clandestinas sanguinis ad cerebrum congestiones refugiunt. Sed de occultis non judicent, fictitiisque theoriis medendi methodum superstruere recusent.

Quam admonitionem cum neglexerint, omnesque scholarum hallucinationes et errores in Psychiatriam transtulerint, mox venaesectionibus et purgantibus, mox vero remediis calefacientibus et roborantibus, tum etiam specificis sic dictis nervinis et narcoticis amentes aggressi sunt, sed plurimis in casibus ne hilum quidem profecerunt. Igitur vix tertiam amentium partem ad sanitatem reduci posse unanime fere contendunt. Quae autem cerebri in vesania gignenda possunt esse partes, cum numerosissima exstent exempla eorum, qui amplissima sensorii



communis vitia organica, vel adeo maximam istius in pus et ichorem conversam partem post mortem exhiberent, etsi ad ultimum vitae momentum usque illaesa mente gauderent?

De ceteris amentiae speciebus, si fatuitatem excipias, eadem, quae de furore dicta sunt valere, quilibet facile mihi concedet, ideoque illis prolixius recensendis hic superse-  
deo. Sed hanc meam sententiam, medicorum plurimorum placitis contrariam, ut auctoritate gravi et praeclara corrobo-  
rem, e dissertatione inaugurali, quam Langermann, Regi a consiliis medicis intimis supremis, perillustis praeceptor meus ad cineres usque gratissima mente colendus, de me-  
thodo cognoscendi curandique animi morbos stabilienda conscripsit, pauca seligenda esse censeo. Nec lectorem benevolum fugere credo, quantam in sanandis mente alie-  
natis gloriam Vir inclyti nominis, summaque ingenii ex-  
cellentia insignis assecutus sit. Hanc vero amentiae defi-  
nitionem proposuit. *Animi morbus est involuntaria per longius temporis spatium durans aut saepe revertens in homine antea mente sana gaudente perturbatio seu priva-  
tio facultatum cogitandi et volendi, vel respectu certi ob-  
jecti vel respectu universae rerum cognitionis omnisque actionis, conjuncta cum efficacia virium imaginandi et sentiendi vel ultra modum aucta vel diminuta.* Quae de-  
finitio ne ulla de re te ambigentem relinquat, hac di-  
stinctione magis etiamnum illustrabitur. *Mentis morbus est vel idiopathicus, cujus fons atque sedes, seu causa et symptomata in animo ipso ejusque organo apto quidem sed male usurpato, reperiuntur; vel sympathicus, qui ex corporis morbo, tanquam causa occasionali, per con-  
sensum morbosum seu compassionem in animo imbecilli et*



*disposito oritur, seu potius data per corporis malum occasione, modoque non necessario erumpit.*

Habes, quae omne de amentiae natura dubium auferunt. Quum enim sedula et perspicax insanorum observatio fateri te cogat, maximam eorum partem ab omni corporis labe conspicua esse immunem, medicumque aequae fere ac illos hallucinari, si hypotheses magis quam rerum genuinum habitum et nexum amplectatur; nihil tibi relinqui patet, nisi quod in animo ipso morborum ejus idiopathicorum fontem atque sedem, seu causam et symptomata quaeras. Quod quomodo sit intelligendum, supra cum de Stoicorum sententiis agerem satis a me esse expositum credo. Nec eam ob rationem vis, quam corporis morbi in animo habent, prae fracte negatur, sed merito iungitur, animum esse imbecillem et dispositum, quem illi moveant. Vir enim fortis plurima aegritudinum, dolorumque genera infractus ac impavidus sustinebit, quin mente vacillet, dummodo animi organum nimia morbi vehementia haud penitus obruatur, veluti in febribus perniciosis, inflammatoriis, in epilepsia aliisque id genus evenire soleat. Longe facilius magnam cerebri laesionem perferet, quae pedetentim facta est, aliumque virium in nervorum medulla distributionem temporis progressu fieri sinit. Homo vero pusillanimis et vecors, doloris acrimonia prostratus vel febrili aestu incensus, aut viscerum actione praepedita torpens, vel adeo sola vertigine stupens mox sui imperium amittet, ita ut animus inquietudine et anxietate vexatus ac liberi iudicii usu orbus, variis deliramentis decipiatur.

Quod ad animi morbos curandi methodum attinet, dubitari nequit, hos eadem mentis disciplina, rationisque



moderamine esse oppugnandos, quibus animi perturbationes, quae eorum fontes sistunt, compescimus. Inanis enim est excusatio supra a me relata, dementis characterem moralem esse mutatum, cuius vitam anteactam si sollertius perscrutatus fueris, facile reperies, animi propensiones, cupiditates et aversiones prius occultatas, intimaque mente reconditas, cum aegrotus sui conscius esset, nunc libere prorumpere, altissimumque saevitiae gradum attingere. Stoici itidem summi erant in tradendis regulis, quae virium in animo aequilibrium restituentes, rationi in affectus, perturbationesque imperium vindicant. At vero totam ethicam doctrinam ab illis propositam hic repetere nequeo; sufficiat tantum eorum mentionem injicere, quibus Cicero amorem insanum corrigere praecepit. „Sic igitur affecto haec adhibenda curatio est, ut et illud, quod cupiat, ostendat, quam leve, quam contemnendum, quam facile vel aliunde, vel alio modo perfici, vel omnino negligi possit. Abducendus est etiam nonnumquam ad alia studia, sollicitudines, curas, negotia; loci denique mutatione, tamquam aegroti non convalescentes, saepe curandus est. Etiam novo quidem amore veterum amorem, tamquam clavo clavum, ejiciundum putant. Maxime autem admonendus, quantus sit furor amoris \*).“ Nec Baconis monita praetermittere summi viri auctoritas sinit. „Pervenimus nunc ad illa, quae in nostra sunt potestate, quaeque operantur in animum, voluntatemque et appetitum afficiunt et circumagunt, ideoque ad immutandos mores plurimum valent. Qua in parte debuerunt Philosophi strenue et graviter inquirere: De viribus et energia consuetudinis, exercitationis, habitus educationis, imitationis,

---

\*) Tusculanarum quaestionum lib. IV. cap. XXXV.



aemulationis, convictus, amicitiae, laudis, reprehensionis, exhortationis, famae, legum, librorum, studiorum et si quae regnant in Moralibus. Ab istis agentibus animus patitur et disponitur; ab istis velut ingredientibus, conficiuntur pharmaca, quae ad conservandam et *recuperandam* animi sanitatem conducunt, quatenus remediis humanis id praestari possit \*).“

Medicorum autem plurimi cum sibi persuasum habeant, amentiam nihil esse nisi delirii speciem de cerebri affectione morbosa testantem, omne mente alienatos erroris convincendi conamen irritum immo noxium esse contendunt. Aegrotos enim hallucinationum suarum adeo esse tenaces, ut se redargui nullo modo patiantur, sed potius se defendendi obstinatione contumaciores in affirmandis ideis perversis evadant et persistent. Omni autem rixa et altercatione animum irasci, cerebrum exstimulari, morbumque exasperari. Quid quod nonnulli insani tanta dialecticae artis sollertia polleant, quanta medicum facile superent, qui melius illa abstineat. Saepe etiam sanatos pristinorum malorum recordatione adeo percelli, ut in morbum vix superatum relabantur. Hinc praecepta illa generalia, quibus regimen insanorum psychicum medici Pinelio auctore definire et circumscribere solent.

1) Noli animum insanum eo sensu commovere, quo aegrotat. Igitur iram furibundi, moerentis afflictionem ne tangas.

2) Cave ne errori ejus vel cupiditati aperte obviam eas.

3) Cura ut animus insanus variis et gratis sensuum

---

\*) De dignitate et augmentis scientiarum, lib. VII. cap. III.



impressionibus afficiatur, quae novis ideis gignendis ansam praebeant, attentionemque a deliramentis avertant.

Quibus regulis obtemperans Pinellius saepe furentes nullo modo coercuit, sed iis per domum et hortum vagandi libertatem concessit, donec animi fervor sponte remiserit. Fortuita igitur sanatio fuit, quae magis a rebus fauste accidentibus, quam a medici consilio penderet. Quodsi autem tibi persuasum habes, amentiam nihil nisi animi perturbationem continuam et in altiore gradum evectam esse, quae rationis praecepta aspernetur, facile percipies, voluntatem effrenam limitandam esse, quod castigatione aequae ac monitis praestari debet. Qui enim recti, bonique sensu caret, ingratis sensationibus afficiendus est, quas ut vitet, a pravis moribus abstinebit.

Acute dictum est, psychiatriam paedagogorum arti esse simillimam; aequae enim sui impotens insanus est ac infans, quapropter uterque in eandem legum tutelam pervenit. Dolendum sane est, parentes nostra aetate infantum malis moribus nimis indulgere, quod cum juvenum intemperantiae ansam praebeat, non potest non quibuslibet animi perturbationibus, amentiae causis favere. Quam ut reprimas, castigationem in pueritia omissam nimis sero supplere debes. Quemadmodum stultum foret, puerum praecepta aspernantem solis verbis monere, ita plane inconsultum manet, furentem sibi relinquere. Utrum nimis crudele cum hoc agimus, si eum dolore afficimus, quo cogitur ut obedientiam et mansuetudinem induat; an potius eum negligimus, si in maiorem petulantiam abeundi libertatem ei concedimus? Laxos mores profitetur, qui dolorem salutarem rem immanem esse contendit; nam si amenti parcis, ne vitae anteactae poenitentia afficiatur, numquam eum commovebis, ut malos mores exuturus sit.



Si regulae a Pinelio traditae usu comprobarentur et compescendo furori sufficerent, non esset, quod coercitione et castigatione unquam in morocomiis utaris, quibus tamen carere medicus nullo modo potest. Quot autem coercionis instrumenta medici excogitabant, quae profecto non laudarent, si ab illis se abstinere potuissent. Vanam igitur humanitatis speciem prae te fers, si omni blandimentorum genere amentem in rationis semitam revocari posse contendis. Flagella quidem et catenas, quibus scelesti puniantur, rejiciamus, ne infelices se in ergastulis versari arbitrentur; nec nimia severitate eum terreas, cujus errorem benevola admonitio refellet, nisi miseram ejus sortem crudeliter aggravare velis; nec ad laborem negotiaque suscipienda eum coges, cujus febris, vel spasmus, vel viscerum obstructio medelam sibi exposcit. Qui vero illaesa vel restituta corporis sanitate fruens medici ad rationis normam revocantis monita et praecepta aspernatur, et ut phantasiae ludibriis gratisque mentis hallucinantis figmentis indulgeat, omne virium utile et grave exercitium recusat; is coercitione castigetur oportet, ut legi sibi praescriptae obtemperare discat. Numquam enim sui imperium recuperabit, qui libidinem qualemcunque suppressere nescit, nec ab erroneis vitae agenda regulis in posterum sibi cavebit, qui vanitate et ambitione fateri prohibetur, quantopere iis deceptus et ad prava consilia capessenda magno suo damno allicitus fuerit.

Cuilibet insano suprema lex esto: Nosce te ipsum, quod ut possis verax sis et verecundus et sobrius et ab omni cupiditate et affectu liber. Nec medico sis infensus, qui acerbam veritatem, sed utilem sed necessariam tibi inculcare, erroresque demere studet; quemadmodum saucius chirurgus haud irascitur, qui telum e vul-



nere extrahit et acria sed salutaria medicamenta infundit. Medicus vero ut insanum docilem esse efficiat, magnam in eum auctoritatem tueatur necesse est, nec garrulitate eum adloqui, sed brevi et nervoso sermone adhortari debet. Sic omnem disputandi occasionem praeoccupabit, qua negata ille erroris facilius convinci poterit, dummodo repetitis vicibus admoneatur. Numquam enim veri rectique sensus penitus exstinguitur, nisi stupor miserum prehenderit; sensus igitur iste indefessa assiduitate est colendus, laude vel vituperio exstimulandus, perpetuaque in negotiis exsequendis actuositate corroborandus. Pigritia enim torpentes animi facultates diem ex die magis languent, et ad usum inhabiles fiunt, ita ut ratio nulla amplius auctoritate polleat; exercitatae vero altiore energiae gradum attingunt et aequilibrium, a quo recesserunt, restituunt. Quod aequae de animi ac de corporis viribus valet, quae id commune habent, quod actionum strenuarum concentu et harmonia sanitatem constituent. Omne igitur amentes curandi conamen communiter ne hilum quidem proficiet, nisi illos ad vires laboribus excolendas et exercendas impellamus, quod cum saepissime repudient, monendi vel coercendi sunt.

Arctiores dissertatiunculae limites psychiatriae regulas omnes non capiunt, e quibus eam tantummodo paucis illustrandam eligo, quae coercionis auxilia spectat. Plurimum sane interest, quibusnam in quolibet insano utamur, nam saepissime periculo haud vacant, nisi cautissime in usum vocentur. Balnea videlicet frigida nimis saepe repetita cutis actionem, transpirationem nempe supprimunt, et sanguinem ad nobiliora viscera retropellunt, quod nisi inflammationibus, corruptelis saltem eorum chronicis, phthisi



pulmonum, blennorrhoeis, ictero, hydropi, febris hecticae ansam praebere potest. Vel nervorum vim exhauriunt, et marasium, tabem, fatuitatem pedissequam habent. Nisi igitur corpus etiamnum viget et calore abundat, quod in maniacis saepe observamus, ab illis abstinendum esse censeo. Tartarus stibiatus, quo in refracta dosi medici utuntur, ut nauseam perpetuam moveant, concoctionem valde infringit, et periculum creabit ei, qui ventriculo non valet. Rotatio, quam variarum machinarum ope perficimus, illis nocet, qui in vertiginem et apoplexiam proni, vel ad haemorrhagias dispositi sunt. Vincula, quibus furentes vel sellae vel lectulo adligamus, saepe haud satis coercent, et ob moram taediosa sunt. Idem de fonticulis et setaceis dicendum est, nec non de vesicatoriis, de unguento tartari stibiati, similibusque cutem erodentibus. Videre licet nonnullos, quos omnia illa auxilia, quibus adsuefiunt, non moveant, ita ut eos frustra torqueas et contumaciores reddas.

Quibus rationibus permotus ab eo tempore, quo medici primarii munus in Nosocomii Caritatis sectione insanis dicata mihi demandatum est, curae cordique habui, ut in illis coercendis justam moderationem observarem, ne nimia severitate infelicium miserrimam sortem crudeliter aggravarem, nec petulantium libidini nimis indulgendo disciplinam, supremam in omni morocomio gubernando legem, labefactarem. Cogitanti mihi, quodnam huic fini perpetrando auxilium maxime responderet, si cetera ordinem conservandi conamina infructuosa essent, moxibustio praepriis arridebat, quam multis auctoribus laudatam esse reperiēbam. Nam omni, quod maximi momenti est, periculo vacat, nisi ignem capitis integumentis admoveas,



quod calvariae cariei, immo meningitidi et encephalitidi lethali ansam praeuisse refertur \*). Sed facillime hanc noxam vitabis, si cutem musculos dorsales ad utrumque processum spinosorum latus tegentem adurendam eligis, quam cautelam numquam neglexi. Accerrimus vero et subitaneus, quem ignis infligit, dolor magis quam ulla alia res furem formidine et metu afficit, eumque obsequiosum et mansuetum reddit, quod multiplici experientia compertum habeo. Stupentes itidem quam maxime incitat, ut alacritatem iis restituat, quos nullo alia coercitio moveat. Utrique hoc egregio auxilio medici auctoritatem agnoscere, ejusque jussa exsequi coguntur. Nec ullo modo moxibustio taediosa est, cum faustum effectum celeriter pedissequum habeat, quod de ceteris coercionis auxiliis raro dici potest. Nam animus anxietate perterritus eam sentiendi et appetendi facultatis mutatam conditionem celeriter subit, qua ab omni contumacia et pertinacia liberatur. Saepe ignis applicatio furentes domavit, qui eam in alio instituendam intuentes certiores facti sunt, se eandem castigationem subituros esse, nisi a pravis moribus recederent. Ne autem nimiae severitatis speciem prae me ferrem, moxibustione tum demum usus sum, postquam cetera auxilia nullum mihi praestiterunt usum. Taceo salutares ignis effectus in variis corporis morbis, v. c. in inflammationibus occultis, in nervorum vitiis, vertigine, cephalaea, spasmis, paralysi, in plurimis metastasium generibus, quae arthritidem, rheumatismum, et exanthemata retropulsa excipere solent. Quae affectiones procul dubio saepe in animi morborum medela medico respicienda sunt,

---

\*) Percy pyrotechnique chirurgicale-pratique ou l'art d'appliquer le feu en chirurgie, pag. 167. seq.



sed ad regimen psychicum, de quo mihi sermo est, haud pertinent.

Hanc eximiam ignis efficaciam multis auctoribus laudatam esse jam dixi, quorum testimonia colligenda esse censeo, ut iis sententiam meam confirmem. Doleo sane, multos libros allegatos evolvendi occasionem mihi defuisse, nec aliorum scriptorum locos indicatos esse, qui de re nostra agant, quocirca iis referendis contentus esse debeo, quae ipse reperiēbam. Imprimis e doctissima commentatione celebris Oegg \*) mihi hauriendum erit, qua recte innuit, veteres medicos graecos et romanos igne in animi morborum medela haud usos fuisse, licet illum inter efficacissima remedia retulerint, secundum inclytum illum Hippocratis aphorismum: „Quaecunque medicamenta non sanant, ea ferrum sanat, quae ferrum non sanat, ea ignis sanat, quae ignis non sanat, ea incurabilia putare oportet.“

Primam autem remedii nostri mentionem injecisse Avenzoar, medicus arabicus dicitur, qui suae aetatis chirurgos vituperavit, quod quemlibet insanum urerent. Antonius Guainerius vero, professor Patavinus, saeculo quindecimo primus illius laudator exstitit; nam in libro, qui inscribitur: *Opus praeclarum ad praxin, maniam ignis ope sanari posse contendit*. Post eum Nicolaus Piso, medicus saeculi decimi sexti, idem auxilium his verbis commendavit: „Quodsi his non curatus fuerit aeger (furiosus), cauteriis utendum e ferro candente, aut ex iis compositis, quae corrodendi ulcerandique facultate praedita sunt: et his potius utendum, donec tanta corrosio facta sit, ut os

---

\*) Ueber die Anwendung des Glüheisens zur Heilung von psychischen Krankheiten; in Hufelands Journal der praktischen Heilkunde, Jahrg. 1828, 9tes Stück.



nudum appareat. Admoveniur ea ubi sutura coronalis cum sagittali conjungitur \*).“ — Severinus, Caesalpinus, Thomās Fienus, Caesar Moecha et Dodonaeus etiam, referente Oegg, ignis laudatores erant.

Serioris aevi medici ab ignis usu abstinebant, vel saltem egregiam illius in morborum medela efficaciam non satis respiciebant, donec Percy in opere jam memorato veterum observationes illi favorabiles colligeret. Ipse autem rei, quatenus nostra interest, paucis his verbis meminit: „La folie, l'imbecillité, la perte de mémoire, les maladies vertigineuses - chroniques, la cephalée, l'amaurose étoient anciennement combattues par l'application du feu à la tête \*\*).“ — Chirurgi quidem praecepta ab illo tradita sollertissime in usus suos convertebant, ut eum qui secuti sint viri illustrissimi Rust, Larrey, Zang aliique studiosi ignis commendatores exstiterint; qui vero insanis curandis hoc tempore operam dabant, ab illo abstinebant, cum veterem in tractandis istis barbariem perhorrescentes mitissimis auxiliis scopum attingere maluerint. Novissimis demum temporibus multiplici experientia sunt edocti, non quemvis furem blando et benigno regimine coerceri posse, sed indomabiles severiori disciplinae subjiciendos esse.

Imprimis Valentin, medicus inter Nancienses celeberrimus, optime de re nostra meritus est, eamque in libro suo, mihi non viso \*\*\*) medicis commendavit. In itine-

---

\*) De cognoscendis et curandis praecipue internis humani corporis morbis libri tres: Lib. I. cap. XXIV.

\*\*) l. c. pag. 198.

\*\*\*) Memoire concernant les bons effets le l'ustion sur la tête ou sur la nuque dans plusieurs maladies.



rario vero \*) haec retulit: „Le docteur Buccinelli (mocomii Mediolanensis medicus) a fait appliquer à 25 maniaques la cautérisation par le fer rouge, selon la méthode que j'ai publiée. Il m'a assuré, ainsi que les autres médecins, qu'un tiers des malades avaient entièrement recouvré la santé — Qu'il me soit permis d'ajouter ici que depuis la publication de mon Mémoire concernant les bons effets de l'ustion sur la tête ou sur la nuque dans plusieurs maladies, les Soeurs de l'hôpital St. Nicolas, près de Nancy, se sont servies dix-huit fois de ce moyen tel que je l'ai employé dans leur maison; qu'elles sont ainsi parvenues à rendre la santé à douze personnes des deux sexes, principalement des femmes, et qu'une seule a eu une rechute l'année suivante. Deux Soeurs font l'opération.“

Eodem fere tempore Gondret \*\*) et Bernhard \*\*\*) eandem rem laudasse dicuntur; sed scripta eorum non vidi. Georget etiam moxibustione saepe iis felicissime succurrebat, quorum amentia in stuporem fere abiit †). Müller, medicus Herbipolitanus, ea ter usus est, nec vero magnum inde emolumentum insanis evenire conspexit, propterea quod eam in morbis desperatis applicaret ††). Schneider narrat †††) hanc curandi methodum a Dr. Groos,

---

\*) Voyage médical en Italie, fait en l'année 1820, par le Docteur Louis Valentin. à Nancy 1822. pag. 137.

\*\*) Gondret de l'emploi du feu dans la médecine. Paris 1819.

\*\*\*) Schweizer Archiv für Medizin.

†) Georget über die Verrücktheit etc., übersetzt und mit Beilagen vom Dr. Heinroth. Leipz. 1821. pag. 207.

††) Nasse Zeitschrift für die Anthropologie. Erstes Vierteljahrsheft für 1823. pag. 209.

†††) Schneider Entwurf zu einer Heilmittellehre gegen psychische Krankheiten. Tübingen 1824. pag. 112.



medico Pforzhemensi (nunc morocomium Heidelbergense gubernante) duobus furentibus, constitutione sanguinea praeditis, adhibitam fuisse. Operatione facta uterque illico ad sui conscientiam rediit, sed alter tantum sanatus perstitit.

Quibus praemissis illustrandis conducturum esse arbitror, si e periculis meis circa moxae in animi morborum medela efficaciam factis nonnulla enarranda eligam.

1) Car. Schm. mulier 31 annorum, temperamento boeotico, robustaque corporis constitutione praedita, omnem vitam optima sanitate fruens degerat. A parentibus pauperibus ad meliores mores haud instituta ab ira, in quam admodum erat prona sibi non satis temperabat, heraeque suae jussa reluctante saepe animo exsequebatur. Anno aetatis tricesimo cum equisone connubium iniit, qui uxorem gravidam domi reliquit, ut principem in itinere diuturno comitaretur. Absente illo stulta aniculis eum infidelitatis inculphantibus aures apertas praebuit, adeoque in eum incendebatur, ut ex itinere reversum criminationibus perpetuis obrueret, tantumque in eum conciperet odium, quantum mors solummodo expiare posse sibi videretur. Cultro igitur vulnus sibi inflixit, quod anteriorem tracheae partem scindens vitae periculum quidem haud attulit, at tamen partum praematurum effecit. Foetum mortuum enixa satis bene sese habuit, omneque puerperii tempus sine notabili incommodo transegit, ut e Nosocomio Caritatis, in quod erat delata, ad maritum sanata reverti posset. Mox vero summum in furorem rapta curae meae tradebatur. Dies noctesque vociferationibus et ejulatu irrequieta consumsit, clamoresque praeruptos rauca et exstincta fere voce edens tantam ferociam exhibuit, quantam ne vincula quidem, quibus lectulo adligari debebat, ne sese



aliosque laederet, compescere possent. Nec febris neque sanguinis ad caput congesti, neque bilis in praecordiis stagnantis signa corporis manifestam aegritudinem probebant. Igitur medicamentis vix locus relinquebatur, si tartarum emeticum excipias, quo medici in refracta dosi uti solent, ut continuam nauseam moveant. Nec tamen haec curandi methodus efficaciorē sese in furente nostra praestitit, quam narcotica, balnea, vesicatoria aliaque id genus. Omnem admonitionem contempsit, inque perpetua mentis corporisque agitatione per plures septimanas perseverans ambigentem me reliquit, quo tandem auxilii genere opem ei ferrem. Itaque moxam in dorso ejus cremandam curavi, altaque eam voce certiorē feci, me ignis applicationem repetiturum esse, nisi a rabie sua recederet. Qua comminatione perterrita pacato animo per sequentes dies se ab omni tumultuatione continebat nocturnoque somno placido reficiebatur, ut dentis vinculis lectulum derelinquere posset. Jam negotiis, quae mulieres perficere solent, v. g. tibialibus acubus texendis operam dabat, nec ulli vituperio materiam praebebat. Taciturna praeteritorum recordari videbatur, quaestionibus sat apposite respondebat, et cum ei demonstrarem, quantum sibi damnum iracundia attulerit, sibi ab illa in posterum cavere pollicebatur. Quod sanationis perfectae signum esse cum maritus sibi persuaderet, uxoris ad se reditum efflagitabat, licet eum admonerem, illam in magno revertentis furoris periculo etiamnum versari, nisi per longius temporis spatium in custodia severa et disciplina teneretur. Quam cautelam vir rudis aspernabatur, uxoremque reduxit; sed imprudentia magno ei constabat, cum illa vix domum ingressa eum verberaret et suppellectilem frangeret. Igitur denuo in Nosocomium recipiebatur, ubi eandem excandescētiā



furibundam, hancque eadem fere pertinacia perseverantem iisdem clamoribus et actionibus violentis manifestabat. Ne tempus medicamentis frustra tererem, quae nullum usum prius praestiterant, ad moxam refugere haud cunctatus sum, cujus ope iterum faustum effectum obtinui. Sui enim conscia facta, atque vitae anteactae, morumque pravorum sincere poenitens, saepe de misera sua conditione lacrimas fundens conquesta est. Sic placida mente, nec ullum delirii vestigium exhibens per plures septimanas sese gessit, cum menses hucusque suppressi sub febrili exaestuatione prorumpentes novum furoris vehementissimi insultum revocarent. Profusa vero per aliquot dies sat larga sanguinis copia, et cessante febre, mox ad se rediit, nec amplius novam morbi accessionem perpessa est, cum interim menses stato ordine pluries reverterentur. Nullum fere diem praetermisi, quo eam ad modestiam et verecundiam non adhortarer, nec ei indicarem, quam prope ira a rabie distet. Praeceptis docilem sese praebuit, ita ut magna probabilitate sanata esse credere possem, cum anno a morbi initio fere praeterlapso eam marito ex urbe nostra in dissitam patriam reduci reddere coactus essem.

2) *Henr. Langn.* puella 33 annorum, temperamenti cholericici, constitutionisque sat vegetae, nec ulla corporis labe affecta, die ultimo anni 1824 in Nosocomium Caritatis recipiebatur. Per dies integros noctesque, quas somni fere expers transegit de se ipsa conquesta est, quod ministerium lucrativum vana spe decepta deseruisset, stultoque consilio in egestatem sese redegisset. Probabilior vero afflictionis suae causa, sorore referente, in sponsi infidelitate erat posita, a quo peregrinante longo jam ex tempore litteras haud accepisset, quo factum est ut desponsione correpta mortem sibi adsciscere cuperet. Easdem querelas



semper proferens simili per plures septimanas inquietudine et anxietate agitabatur, nec ad ulla negotia perficienda commoveri potuit, sed medicis respondit, se diligentem futuram esse, si libertatem recuperaret. Sana ceteroquin cibos bene appetebat, alvum saepius deponebat, cum medicamenta salina, aloëtica similiaque ei propinarentur. Tandem balneorum frigidorum usu, quem maxime perhorrescebat ad munera administranda compellebatur, et irrequietam animi agitationem compescere cogebatur. Soror precibus ejus enixis indulgens eam secum habitare permisit, quod vero nondum sanatae male cessit, cum in pristinum afflictionis statum mox relaberetur. In Nosocomium mense Februarii anni 1825 reversa eandem melancholiae errabundae tragoediam agebat, tremebat, ejulabat, imprudentiamque suam exprobrans in semet ipsam magis quam in alium quempiam infensa esse videbatur. Simili fere modo per sequentes menses sese gessit, decorisque saepe adeo oblita erat, ut munditiem plane negligeret, eamque ob causam castigari deberet. Summam ei molestiam balnea frigida saepe repetita creabant, quae ut a se averteret, clamitare solebat, se capite haud aegrotare, sanamque esse, cui libertas injuste negaretur. Versus aestatem tamen obsequiosior facta et diligentior, sorori reddebatur. Simulac vero domum ejus intravit, datam assiduitatis fidem haud servabat, sed novas querimonias proferebat, intellectum suum repetito balneorum usu debilitatum, atque se muneribus perficiendis imparem esse. Sic annum sequentem consumsit; appropinquante vero aestate anni 1826 in furorem fere anxietas abiit, quamborem infelix puella in Nosocomium reducebatur. Ne nimis longus sim in enumerandis maniae verae accessionibus, quae ab illo tempore aegrotam nostram invaderent, jam dicam, qualem morum habitum in-



duerit, quas deliras ideas effari soleret, cum mense Februarii anni praeterlapsi curae meae mandaretur. Quotidie fere ob levissimas causas in rixam ibat, tantaque erat sentiendi acrimonia, quae vituperio vel castigatione magis etiamnum exasperaretur. Medicis imprimis maledixit, qui balneis caput sibi debilitassent, innumerisque poenis inson-tem affecissent. Sed omnia mala invicto animo se perpeti, clamitabat, eamque ob causam se Christo similem et in maxima apud Deum gratia esse, eoque omnibus hominibus excellere. Attamen in communi insanarum conventiculo tibialibus acubus texendis operam dabat, et nisi laccessita quietam sese gessit. Ne animum ejus summe irascibilem irritarem, ab omni cum ea abstinui confabulatione, et consulte eam neglexi, ut ostenderem, quantopere sanctitatem arrogantis vanitatem contemnerem. Tandem silentii pertaesa me interrogavit, cur ne verbo quidem eam dignarer? Cui respondi, stultum me fore, si veritatis impatientem alloqui vellem. Nam saepissime me observasse, eam in furorem agi, quotiescunque ad verecundiam, modestiam, pacisque amorem admoneretur. Sati-  
 tius igitur esse, eam sibi relinqui, cum omne consilium aspernaretur; nec mihi in animum venire, cum aegrotis litigare, quod absurdis tantum colloquiis materiam praebere posset. Haec reprehensio eam pudore affecit, quod cum observarem, jam iteratis vicibus eandem rem sermone pertractabam, et nimis altam suam opinionem de se suisque virtutibus acriter perstringebam. Quibus repetitis vituperationibus cum denuo laccesseretur et in furorem ageretur, eam in balneum frigidum mitti jussi, quo perterrita de iracundia aliquantulum recedere videbatur et submisso animo veniam sibi petebat. Sed arrogantiam suam dissimulavit tantum; nam cum aliquando



eodem modo eam adhortarer, fortitudinem suam invictam tractavit, qua mala quaecunque sibi imminetia, vel mortem adeo ipsam impavide sustinere vellet, ut martyrii coronam, sanctitatis suae praemium nactura sit. Tum eam sic allocutus sum: Cerebrum tuum densa caligine involvitur qua prohiberis, quo minus miseri tui et flebilis status conscia fias; igne igitur illae nebulae dispellendae sunt, ne ratione orba maneas. Itaque moxam deflagrantem nuchae ejus admoveri curavi, quod nisi sufficeret iterare spondi. Sed nova ignis applicatione opus haud erat, nam reluctari mihi cessabat, erroris convincebatur, et ingenue fatebatur, se semper quam maxime iracundam et ambitionem fuisse, omnemque adhortationem sprevisse, a quibus vitiiis in posterum sibi cavere pollicebatur. Elapsis igitur nonnullis mensibus sanatae libertas reddebatur postquam per integros sex annos insana fuerat.

3) Guil. Kuhlmann. textor 24 annorum, temperamenti sanguineo-cholericum, constitutionis tenerae habitusque gracilis, masturbationis vitio obnoxius, jam decimo septimo aetatis anno fatuitatis incipientis signa dederat, eamque pro causam in Nosocomium Caritatis recipiebatur. Quamquam medendi methodo tractatus fuerit non compertum habeo, cum in actis Nosocomii nihil reperiam, nisi quod elapso mensis spatio sanatus ad propinquos reversus sit. Tunc artem suam quidem exercebat, sed ebriositati indulgebat, qua mores non poterant non depravari. Nam saepe pro levissimas causas irascebatur et rixabatur, quo tandem effectum est, ut in plenum furorem abiret. Ab opificio recessit, continuaque inquietudine agitatus huc et illud concursavit, noctes somni expers transegit, cibos potusque repudiavit. Vociferationes, clamoresque edens, suos aggredi conatus est, ita ut in Nosocomium et quidem mense Fe-



bruarii anni 1830 reduci deberet. Quo cum pervenerit, pristinum habitaculum et curatorem recognovit quidem atque interrogationibus haud inepte respondebat; sed malitiose quemlibet appropinquantem pulsare et verberare tentabat, quamobrem lectulo eum adligari jussi. Si levem pulsus agitationem excipias, febre non laborabat, sed sordium in intestinis nidulantium signa manifesta exhibebat, quibus expellendis solutionem natri sulphurici et tartari emetici sumendam ei praescribebam. In integrum sic restituta corporis valetudine, mentem tamen etiamnum emotam actionibus violentis prodebat, quarum rationem sciscitanti mihi respondebat, se daemone esse obsessum, quo ad facinora impelleretur, ut ab anxietate sese liberaret. Cum omnem seriam admonitionem obstinate contemneret, variis coercitionis auxiliis uti debebam, quibus placidior utique factus est. Sed muneribus perficiendis se adstringere recusabat, eumque sensus moralis torporem patefecit, quem nulla adhortatio moveret. Irritis igitur ceteris mendendi conaminibus ad moxiburium confugi, quod optatum usum praestitit. Nam altero jam post ustionem factam die piger hucusque omneque officium negligens juvenis alacritatem, obedientiam, assiduitatemque exhibuit, et claram sui conscientiam mox recuperavit, ut vitiorum pristinorum sequelas sibi funestas intelligeret, et sibi ab illis in posterum cavere promitteretur. Et fidem datam servabat, quamdiu in custodia nostra versaretur, ita ut bonis moribus instructus mense Septembris e Nosocomio demitteretur.

4) Frid. Guts. puella 18 annorum temperamenti sanguinei et habitus gracilis, parentes, quibus ad laboriosum vitae genus instituebatur, praematura morte ereptos amisserat. Tunc apud propinquos in desidia degebat, quae



legendis fabulis amatoriis, quibus valde delectabatur, otium fecit. Cum interim eveniret, quod soror, in puerperio supremum diem obitura a marito posceret, ut puellam nostram virginem jam factam in matrimonium duceret, haec vana spe decepta est, nam ille promissis, quibus moribundam consolari tantum vellet, haud stetit. Quo factum est, ut ab eo tempore moestitia lugeret, et ab omni occupatione desisteret. Quam ob causam cum a propinquis saepius vituperaretur, in majorem etiamnum afflictionem incidebat, atque se maleficam esse clamitabat et indignam, quae in bonorum hominum coetu haud amplius vivere, sed poenas subire deberet. A potu ciboque abstinit, et urbem interdum pererrans somno nocturno non reficiebatur. In Nosocomium Caritatis mense Aprilis anni 1828 delata easdem querelas proferrebat, eademque inquietudine tenebatur, quae nec usitatis coercionis auxiliis, balneis videlicet frigidis et vinculis, nec variorum medicamentorum usui per sat longum temporis spatium cederet. Et manu saepius se stuprabat, ut severa tantum custodia a pernicioso hoc vitio retineri posset. Tandem sanata fuisse, Nosocomii acta perhibent, e quo mense Octobris ejusdem anni ad propinquos reversa est. Sed mens semel emota facile deliramentis phantasiae amore incensae cedebat, quibus indulgens puella nostra firmiter sibi persuasum habebat, se uxorem medici cujusdam esse, a quo quondam curata fuerit. Nec solum laetitia se effrens hoc magna garrulitate asserebat, sed etiam gesticulationibus obscenis voluptatem, qualem in concubito cum illo sentiret, indicare non erubuit. Vix in Nosocomium redux (mense Februarii anni 1830) indesinenter se manu stuprabat, quod nec balnea frigida nec vincula prohibere poterant. Quo deleterio vitio mox in miserrimum statum



quin in vitae adeo periculum abjiciebatur. Nam morientis fere ad instar pallebat facie collapsa, oculisque cavis, toto corpore frigido tremebat, nec amplius articulate loqui, sed tantum verba mutilata, vel potius ejulatum raucum edere poterat. Pulsus debillimus et celer, respiratio anxiosa et suspiriosa, vigiliae, magnaue virium prostratio vitae discrimen satis luculentum prodebant, quod profluvio e vagina copiosissimo, sanguineo-mucoso, linteamenta polluente magis etiamnum augebatur. Sane periculum in mora erat, nam nisi a vitio cohiberetur, mortem certissime praevidebam. In sola igitur moxibustione ceu in sacra anchora omnis spes mea erat posita, nec haec me fefellit. Nam cum ignis miseram acri dolore afficeret, et altissima voce eam certiozem facerem, quod eandem poenam subitura sit, quotiescunque idem flagitium committeret; perterrita obstupuit, et sequentibus diebus vix verbum proferens omnem corporis motitationem voluptuosam omisit. Cum finem optatum assecutus essem, ab omni medicaminum usu abstinui, ut moxae efficaciam nullius rei ope adjutam aperte cernere possem, eamque plane sufficere observavi. Profluvium enim illud illico cessavit, et viribus pedetentim redeuntibus, ciborum appetitu somnoque restitutis, corpus juvenile pristinum vigorem, partiumque turgorem mox recuperavit. Nec miseriae, quam sibi contraxerat, oblita erat, sed saevam mentis labefactionem, qua infra brutorum conditionem praecipitata erat, ipsa perhorrescebat, et illam, quam sibimet ipsi intulerit calamitatem, documento sibi fore confirmabat. Quod cum observarem, ostendi ei, animum otiosum, qui strenuum laborem repudiaret, et lascivum et frivolum fieri et in cupedines perturbationesque pronum, nec minus phantasiae ludibriis indulgentem pudori castitatieque tuendae esse imparem. Vitae



igitur rationem laboriosam nisi amplecti vellet, insaniam certo recidivam fore, quae damnum inevitabile vel mortem ipsam non posset non efficere. Hujus effati veritatem intima mente persentire videbatur, nam diem ex die verecundior, modestior et obsequiosior facta omni desiderio respondere studebat, et cum longo ex tempore nullum amplius delirii vestigium exhibuisset, mense Octobris Nosocomium sanata reliquit.

5) Henr. Roes. puella 32 annorum, temperamenti melancholici, habitus teneri et siccioris, originem duxit a matre, quae in puerperio jam furoris accessionem perpressa elapsis aliquot annis amens diem obiit supremum. Patris sutoris egestas impedit, quo minus puella nostra in scholis rite institueretur, quid quod a tenera inde infantia manu laborare cogeretur, ut quaestum faceret. Menstrua ante vigesimum aetatis annum haud fluebant, et proximo jam anno cessabant. In magnetismo animali opem quaerens a medico quidem in somnambulismum saepius ducebatur, quod sensationibus mysticis et fortasse clandestinae voluptati fomem praebuisse videbatur, nec vero successum optatum obtinuit. Miles in bellum iturus sponsalia ei fecit, sed spem per plures annos fotam elusit. Qua quidem infidelitate summo opere afflictæ patris, quem alere deberet, marasmus diuturnus majorem etiam aerumnam creavit. Accedebant variae aegritudines, nam sanguis, cui per uterum exitus negabatur, in toto corpore tumultuans, cephalalgias, vertigines, vel pectoris oppressiones, vel colicos dolores statis periodis excitabat, quid quod pulmonum viscerumque in abdomine inflammationibus saepius ansam praebuisse dicitur. Tandem patris morte a magnis curis liberata, allevatam se quidem sensit, et redeuntibus menstruis gavisæ est; sed malorum et injuriarum



perlatarum recordatio animum omni hilaritate et alacritate spoliavit. De salute sua desperans omnibus hominibus suspiciosa diffidebat, cum a sponso decepta esset, quid quod in unumquemque adeo erat infensa, ut praetereuntes ignominia afficeret, et malos mores exprobrantibus responderet, se magnetismo ad haec adigi. Tandem cum in publica via confabulantes nonnullos conspiceret, illos adversus se conspirare arbitrata, fenestram vi aperuit, et actum esse de se, insidiasque sibi strui clamatavit. In ergastulum deducta furebat, rixabatur, maledicebat, tumultuabatur, ita ut dubium nullum superesset, quin mente laboraret, et in Nosocomium recipienda sit. Quo cum pervenerit (mense Septembris anni 1829), facies rubicunda et oculi micantes indicabant, sanguinem abundantius ad caput affluere, et cerebri talem irritationem efficere, qualis furori manifesto responderet. Nam loquacissima et vehementer emota contendebat, se Christo in reportanda victoria aemulari, et justitiam triumphaturam esse, quod magnetismi ope cognosceret. Quod cum dixisset, malorum pristinorum recordatione adeo exardescibat, ut vinculis coerceri deberet. Simul tartari stibiati solutio ei propinabatur, eaque efficiebatur, ut cessante sanguinis ad caput congestionem quietior et placidior fieret, somno nocturno recrearetur, quaestionibus apposite responderet, et muneribus se applicaret. Sed vana erat spes, melius fieri aegrotae, nam elapsis paucis septimanis iterum in furorem abiit, quem varia coercitionis auxilia compescere debebant. Sic maniae accessiones cum statu remissione pluries alternabant, usque dum mense Februarii anni 1830 curae meae mandaretur. Exegi ab ea, ut vitae anteactae curriculum mihi narraret, quod cum faceret, tantam morum acerbicatem et amaritudinem ostendebat, quanta haud procul a novo furoris par-



oxysmo abesset. Aliquot post dies totam se masturbationis vitio dedit; a quo nulla adhortatione, nulla castigatione retineri potuit, ita ut brevissimo temporis spatio elapso in eandem miserrimam conditionem laberetur, quam in praecedente morbi historia descripsi. Eodem auxilii genere usus similem effectum obtinui. Recuperatis viribus sui consciam factam commissi flagitii memoria pudore affecit, quod cum viderem, quotidie ei inculcabam, quantopere a rationis tramite recesserit. Simul certiores eam reddebam, ad sanam mentem reditum sibi non patere, nisi sentiendi acrimoniam exueret qua praeceptorum indocilis fieret, nec esse quod aliis irasceretur, cum ipsa sibi damnum intulerit. Haec similiaque verba eam movere videbantur, donec post aliquot menses denuo in furorem incideret, quem solum moxiburium iterum compesceret. Sed iteratis morbi accessionibus illoque pestifero vitio vires exhaustae erant, corpus extenuatum et exsuccum colorem cachecticum induens languebat, menstruis longo jam ex tempore cessantibus. Emmenagogorum usum virium prostratio, corporisque macies vetuit, quae roborantia potius posceret. Ferri igitur limaturam cum myrrha et extracto gentianae nuptam in parca dosi sumendam praescribebam adjectis simul lenibus carminativis et aromaticis. Sed iterum ab hoc medicaminum genere abstinere debebam, cum febricula rheumatico catarrhalis accederet, quam ammonium muriaticum profligavit. Versus autumnum novi deinceps maniae insultus, qui tamen priorem ferocitatis gradum haud attingebant. Aegrotata enim spectris similibusque hallucinationibus terrentibus se inquietari dixit, quae leniori regimini mox cederent. Per hiemem sequentem melius se habuit, valetudinaria tamen, quae variis auxiliis indigeret. Mense Maji h. a. regnante constitutione epide-



mica febris tertiana vehementior eam corripuit et corpus exhaustum in vitae periculum abduxit. Interim chinii sulphurici, nec non excitantium et nervinorum usus tempestivus morbum gravem mox abegit. Nunc corporis quidem vires fractae sunt, ut nihil nisi diuturna post tot tantasque vis vitalis perturbationes debilitas expectanda sit; sed mente constat aegrotā, nec unquam in summis febris accessionibus sui conscientiam amiserat.

6) Am. Sched. mulier 45 annorum, temperamenti melancholici, habitus siccioris et teneri, patrem mercatorem morte abreptum, dum infans etiamnum esset, perdidit. Vitricus nonnullos liberos in priori matrimonio genitos novae uxori adduxit, quae ei etiam prolem peperit. Sic diversae originis familia erat, in qua concordia et mutua fides saepissime desiderabatur, quod perficiendis liberorum moribus non poterat non obstare. Hinc aegrotā nostra suspiciosa et morosa facta est, quod magnis calamitatibus ansam praebuit. Nam matrimonium, quod vigesimo tertio aetatis anno cum chirurgo quodam inierat, ab initio fere infaustum gessit, adeo ut nec aliquot liberorum partus dissidentes animos reconciliare posset. Mulier officii ita erat oblita, ut alterius viri amplexibus se praeberet, quod cum maritus compertum haberet, divortium cum ea fecit. In matris domum redux longam annorum seriem ibidem habitabat, postquam vero illa in aliam urbem profecta esset, haec sibi soli relinquebatur, et manu laborans quaestum faciebat. Novissimis annis cum milite jam olim sibi cognito concumbebat, nec tamen ea re laetabatur, cum vana aemulatione et suspicione ei stomachum moveret. Tandem is criminationum inanum pertaesus querulam mulierem dereliquit, quod summopere eam afflixit. Injurias, quas illi intulerat, acriter sibi exprobrans mox se



maleficam esse credidit, cui de Dei gratia desperandum sit. Curae meae mense Julii anni 1830 cum traderetur, melancholiae, quam attonitam dicunt, speciem prae se ferebat. Nam immobilis fere eandem corporis positionem servabat, interroganti mihi nihil respondens, nisi miserrimam et ad aeternas poenas damnatam se esse. Vultus moestissimus, oculi cavi, color faciei pallidus, cultus corporis plane neglectus summam animi dejectionem satis indicabant. Ciborum tamen appetitus vigeat, nec ullum morbum, quo corpus laboraret, deprehendere potui. Taceo medendi conamina, quibus tam gravem animi morbum diu sed frustra aggressus sum, ut mentem allevarem; melancholia jam in fatuitatem abire videbatur, cum mulier ad omnes res insensibilis fieret, nihil amplius loqueretur, et quotidie vestimenta et lectulum excrementis suis conspurcaret. Nec moxibustio, quam in usum vocavi, eam movere videbatur, nam in eodem statu per sat longum temporis spatium perseverabat. Ne autem eam in tam miseranda conditione relinquerem, moxae applicationem iteravi, eaque effeci, ut munditiei ac decori magis studeret. Quod cum observarem, eam quotidie exhortatus sum, ut muneribus operam daret, ne tempus a Deo sibi concessum frustra tereret, nec inani poenitentia seducta virium exercitium negligeret, quo solo ad virtutem sibi reditum comparare posset. Fateor, coercionis auxilia majorem ac verba mea in ipsius animo vim habuisse, cum quemlibet laborem nisi coacta repudiaret. Tandem alacrior facta jussa rite exsequi incipiebat, imprimis versus memoriales ethici argumenti sedulo ediscebat \*). Nunc sui plane conscia est, nam vitae cur-

---

\*) Moris mihi est, cuilibet amenti ad rationis usum redeunti tale versus conditioni suae respondentes ediscendos mandare.



riculum, quale retuli, mihi narravit, et anteactorum memoria pudore affecta est. Nec esset, quod amplius in Nosocomio retineretur, nisi diurnurniori custodia et repetitis admonitionibus eam in melioribus moribus confirmare vellem, ne officiorum neglectu iterum in amentiam relapsura sit.

---

Cum enim amentia nihil aliud sit, nisi recti, boni congruique ob-  
livio, officiorum recordatio insanienti restituenda est, quod illo  
auxilio optime et facillime efficitur.

---